Emil
Krehl

DE

NUMIS MUHAMMADANIS

IN

NUMOPHYLACIO REGIO DRESDENSI

ASSERVATIS

COMMENTATIO.

AUCTORE

Dr. LUDOLF KREHL

BIBLIOTHECAE REGIAE PUBL. DRESDENSIS SECRETARIO; SOCIETATUM GERMAN. ORIENTALIS, INVESTIG. ANTIQU. PATR. SAXON. REG. DICATAE, NEC NON ASIATICAE PARISIENSIS SODALI ORDINARIO.

LIPSIAE

SUMTIBUS LIBRARIAE DYKIANAE.

1856.

PRAEFATIO.

L. B. S.

Recensioni numorum Muhammadanorum in numophylacio Regio Dresdensi asservatorum praefaturus non habeo, quod multis exponam, quae ad operae meae in apparatu illo numismatico digerendo et describendo positae et causam et rationem spectant. Studia rei numismaticae Muhammadanae quum indies magis magisque crescant, eorumque fines novissimis quidem temporibus amplius ampliusque prolatentur, quotquot in numophylaciis Europaeis latent, copiae ut aperiantur, ab omnibus harum rerum studiosis summopere desiderari, inter omnes constat. Quid quod, quum ante hos quatuor annos Petropoli in patriam reversus Dresdae consedissem, numophylacii nostri Regii numos Muhammadanos, quorum maximam partem jam *Reiskius* et *Fleischerus* *), fautor et magister summa pietate colendus, legerant et descripserant, perlustravi, eorumque descriptionem publice edere mihi in animo fuit. Quod quominus facerem, alia studia, inprimis ad Al-Makkarî celeberrimum illud opus historicum una cum *Dozy* Lugdunensi, *Dugat* Parisiensi et *Wright* Dubliniensi publice eden-

*) *Fleischerus* numos nostros hasce in classes digessit: I. Numi Chalîfarum Umajjadarum 2. II. Numi Chalîfarum ʿAbbâsidarum 27 (inter hos 2 ectypa plumb. quorum non feci mentionem). III. Numi Sâmânidarum 24. IV. Numi Bûjidarum 4. V. Numi Hamdanidarum 4. VI. Ortokidarum 1. VII. Numi Shâhorum Pers. 29 (incerti 10). VIII. Numi Mogolorum Indicorum 77 (incerti 14). IX. Numi a Britannis in India or. cusi 4. X. Numi Turcici 37 (incerti 2). XI. Numi Bulgârorum et Tatarorum 25.

dum collata, impediverunt; quae quum novissimis tandem diebus ad finem perducta essent, a duobus studiorum meorum fautoribus iterum admonitus non amplius haesitavi, plagulasque meas Lipsiam misi.

Ad numorum nostrorum et digerendorum et describendorum rationem quod attinet, imprimis *Fraehnii*, *Dornii* et *Tornbergii* auctoritatem sequendam, eorumque methodo mihi utendum esse putavi. In addendo urbium monetalium cujusque classis indice, quotquot in libris, hunc in usum a me collatis, invenire mihi contigit, *Tychsenii*, *Moelleri* atque *Stickelii* exempla secutus sum, qui quam bene de geographia numismatica meruerint, inter omnes hujus rei peritos constat. Tantum abest, ut me omnia illarum urbium nomina enumerasse putem, ut potius permulta alia in libris de re numaria Muhammadanorum scriptis, qui mihi non praesto fuerunt, obvenire mihi persuasum sit; quam ab rem, qui me negligentiae esse arguendum forte censeant, ut celeberrimae illius sententiae, quae „ultra posse neminem obligari" docet, memores aequum et justum judicium ferre bene velint, iterum iterumque enixe rogo atque oro.

Quoad *Tusturi min al-ahvâz* urbis monetalis nomen (cf. p. 27 s.) mihi tam felici esse contigit, ut, plagulis meis jam Lipsiam missis, *Stickelium* (cf. Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft, t. X, p. 297) idem nomen in numo ʿAbbâsidico invenisse cognoscerem.

Nihil restat, quam ut *Lossnitzero*, collegae amicissimo, numophylacii Regii Dresdensis directori solertissimo, qui mihi numophylacii etiam insolitis horis adeundi potestatem fecit, pro multifariis benevolentiae documentis quam maximas publice agam gratias.

Scr. Dresdae, d. XX. m. Sept. 1856.

L. Krehl.

INDEX URBIUM MONETALIUM.

CLASSIS PRIMA.

*Numi Chalîfarum Umajjadarum**).

Valîd I. ben ʿAbd-al-malik

regnavit inde ab anno Hiǵrae 86 (705 p. Chr.) — 96 (714/5).

1.

Num. arg.	Area I.	لا اله الا	*Non est Deus nisi*
		الله وحده	*Allâh unicus,*
		لا شريك له	*cui nullus est socius.*

Margo. بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط فى سنة ثلث وتسعين *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in urbe Vâsiṭ anno nonagesimo tertio* (93 = 711/2. p. Chr.).

Area II.	الله احد الله	*Allâh est unus, Allâh*
	الصمد لم يلد	*aeternus, non genuit,*
	لم يولد ولم يكن	*non genitus est; nec est*
	له كفوا احد	*ei aequalis ullus.* (Cf. Kur. Sûr. 112.)

*) Indicem urbium monetalium hujus dynastiae dedit *Stickel* in „Handbuch d. morgenländ. Münzkunde" I. p. 8 s., cui addantur nn. urb. ميسان, فيل, سوس.

Margo: محمد رسول الله ارسله بالهدى ودين الحق ليظهره على الدين كلّه ولو كره المشركون *Muhammad est Apostolus Dei, qui eum misit directione et vera religione instructum, ut eam omnibus religionibus superiorem redderet vel invitis plurium deorum cultoribus.* (Cf. Ḳur. Sûr. 9, 33.)

Sculptoris incuriâ littera و ante لم يولد excidit; praepositio على ante الدين كله, tam compresse est scripta, ut vestigia ejus paene evanescant.

2.

Aut Valîd II. ben Jazîd (125 — 126. a. H. = 743/4. Chr.)

aut

Jazîd III. ben Valîd (126. a. H.) aut

Ibrâhîm ben Valîd (126/7. a. H. = 744/5 Chr.).

Dirhem cusus بواسط سنة ست وعشرين ومية *in urbe Vâsiṭ anno centesimo vicesimo sexto* (a. H. 126 = Chr. 743/4).

Area I. plane congruit cum Area I. numi modo laudati; فى ante سنة hic omissum est.

Area II. item; sed quae in illa omissa est littera و hic recte est posita.

CLASSIS SECUNDA.

Numi Chalîfarum ʿAbbâsidarum *).

ʿAbd-allâh Abû'l-ʿAbbâs Al-Ṣaffâḥ

regn. ab a. H. 132. (749/50. Chr.) — 136. (753/4).

1.

Dirhem.

Area I. eadem atque in numis Umajjadarum modo laudatis, scil. *Non est Deus* etc.

Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالكوفة سنة ثلث وثلثين ومية *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in urbe Al-Kûfa anno centesimo tricesimo tertio* (133 = 750/1. Chr.). Circulus simplex, in quo ter ○○○ repetitum est, inscriptiones cingit.

Area II. محمد رسول الله *Muḥammad est Apostolus Dei.*

Marginis inscriptio eadem est atque in numis Umajjadarum, scil. *Muḥammad est Apostolus Dei qui eum misit* etc.

Circulus triplex inscriptionem mediam, circulus simplex, in quo sex ○, inscriptionem marginis cingit.

---

*) Indicem urbium monet. hujus dynastiae dedit *Stickel* l. l. p. 37 ss.

Abu Ǵa'far Al-Manṣûr
regn. ab a. H. 136 (753/4. Chr.) — 158 (774/5).

2.

Dirhem cusus بالكوفة سنة ثلث واربعين ومية *in urbe Al-Kûfa anno centesimo quadragesimo tertio* (143 = 760/1 Chr.)

Area I. et II. plane sunt eaedem, quae in numo modo laudato. In inscriptione Areae secundae litterae ال ante ...دين (على الدين) plane sunt deletae.

3.

Dirhem cusus *eodem loco* et *anno*. Litterarum forma eadem est atque in antecedenti.

Area I. In marginis inscriptione vocabula بسم الله deleta sunt.

Area II. Margo: ..... بالهدى ودين الحق ليظهره على الدين كله ولو ..... كون

4.

Dirhem cusus بمدينة السلام سنة ست وخمسين ومية *in Madînat-al-salâm* (i. e. *Baǵdâd*) *anno centesimo quinquagesimo sexto* (156 = 772/3).

In Area II. infra sub محمد رسول الله exstat بخ بخ. Numus optime conservatus est.

Al-Mahdî Muḥammad ben Al-Manṣûr
regnavit ab a. H. 158 (774/5 Chr.) — 169 (785/6).

5.

Num. arg. Area I. لا اله الا || الله وحده || لا شريك له
Non est Deus nisi Allâh unicus, cui nullus est socius.

Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة اثنتين وستين ومية *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in Madînat-al-salâm* (i. e. *Baġdâd*) *anno centesimo sexagesimo secundo* (162 = 778/9 Chr.).

Area II. محمد رسول *Muhammad Apostolus*
الله صلى الله *Dei, Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem praestet.*
الخليفة المهدى *Al-Chalîfa Al-Mahdî.*

Infra •

Margo: محمد رسول الله ارسله الخ *Muhammad Apostolus Dei, qui eum misit etc.*

6.

Dirhem cusus بمدينة السلام سنة ثلث وستين ومية *in Madînat al-Salâm* (i. e. *Baġdâd*) *anno centesimo sexagesimo tertio* (163 = 779/80 Chr.).

Inscriptiones Ar. I. duobus circulis sunt cinctae, inter quos tres ○ alternatim cum ○○ positi sunt.

Inscriptiones Areae II. plane sunt eaedem atque in Area II. numi antecedentis; infra sub الخليفة المهدى exstat ⚲.

7.

Num. aureus.

Area I. لا اله الا || الله وحده || لا شريك له *Non est Deus nisi Allâh unicus, cui non est socius.*

Marg. محمد رسول الله ارسله بالهدى ودين الحق ليظهره على الدين كله *Muhammad Apostolus Dei, quem misit directione et vera religione instructum, ut eam omnibus religionibus superiorem redderet.* (sine ولو كره المشركون)

Area II. محمد رسول الله *Muhammad Apostolus Dei.*

Marg. بسم الله ضرب هذا الدينر سنة ثمان وستين ومية *Nomine Dei! Cusus est hic dînâr anno centesimo sexagesimo octavo* (168 = 784/5 Chr.).

Hârûn al-Rashîd

regnav. ab a. H. 170 (786/7 Chr.) — 193 (808/9).

8.

Dirhem, attritus et mutilatus, cusus (?) بالعباسية سنة اثنى وسبعين ومية *in urbe Al-ʿAbbâsijja anno centesimo septuagesimo secundo* (? 172 = 788/9 Chr.).

In Ar. I. inscriptione marginali voc. هذا ante الدرهم plane est deletum.

Ar. II. الله || رسول || محمد *Muhammad Apostolus Dei.* Supra ع, infra ك . . . د. Litterarum forma rudissima est.

9.

Dirhem pessime conservatus.

Area I. in med. *Symbolum sunniticum.*

Marg. . . . . الله ضرب هذا الدرهم با . . . لمحية سنة احدى . . . . (Nomine) *Dei! Cusus est hic dirhem in urbe A-* (l Muhamma) *dijja* (?) *anno* (centesimo octogesimo?) *primo.*

Area II. محمد رسول الله || صلى الله عليه وسلم || مما امر . . الامير الا . . || محمد بن امير المؤ . . . . *Muhammad Apostolus Dei. Deus benedicat ei et salutem praestet! Ex iis quos* (cudi) *jussit Princeps al* (Amîn), *Muhammad filius Principis fi* (delium).

Infra جعفر, supra س.

10.

Dirhem attritus cusus بمدينة السلام سنة اثنتين وثمنين ومية *in Madînat-al-salâm* (i. e. *Baġdâd) anno centesimo octogesimo secundo* (182 = 798/9 Chr.).

Area II. محمد رسول الله || مما أمر به الامير الامين || محمد بن امير المؤمنين *Muhammad Apostolus Dei. Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps Al-Amîn Muhammad filius Principis fidelium.*

Infra . . ع . . i. e. جعفر Gaʿfar.

11.

Numus aureus, cusus سنة خمس وثمنين ومية *anno centesimo octogesimo quinto* (185 = 801/2 Chr.). Nomen urbis, in qua hic dînâr cusus est, non exstat. Inscriptiones sunt eaedem quae in dînâro (Nr. 7.) supra laudato; sed in Ar. II. infra, sub verbis محمد رسول الله *Muhammad Apostolus Dei,* جعفر exstat.

12.

Dirhem cusus بمدينة بلخ سنة ثمن وثمنين ومية *in urbe Balch anno centesimo octogesimo octavo* (188 = 803/4 Chr.).

Area I. *Symbolum sunniticum.*

Area II. محمد رسول الله *Muhammad Apostolus Dei.*

مما امر به الامير المامون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps Al-Ma'mûn*

عبد الله بن امير المؤمنين ولى *ʿAbd-allâh, filius Principis fidelium, socius*

ولى عهد المسلمين *praefecti foederi Muslimorum.*

Supra و, infra بخ exstat. Margo: محمد رسول الله ارسله الخ *Muhammad Apostolus Dei, quem misit etc.*

13.

Dirhem cusus بمدينة السلام سنة اثنتين وتسعين ومية *in Madînat-al-salâm* (i. e. *Baġdâd*) *anno centesimo nonagesimo secundo* (192 = 807/8 Chr.). In Area II. infra ة exstat.

14.

Dirhem cusus بمدينة السلام سنة ثلث وتسعين ومية *in Madînat-al-salâm* (i. e. *Baġdâd*) *anno centesimo nonagesimo tertio* (193 = 808/9 Chr.). In Area II. infra sub محمد رسول الله exstat ة vel بخ, non distincte exaratum.

ʿAbd-allâh Al-Ma'mûn

regn. inde ab a. H. 198 (813/4 Chr.) — 218 (833/4).

15.

Dirhem cusus بمد . . . . ک (?) سنة ماتين *in Mad*(înat . . . .?*) *anno ducentesimo* (200 = 815/6 Chr.).

In Area I. sub verbis *Symboli sunnitici* exstant vestigia litterarum illegibilium, quae *Reiskius* المامون legenda esse putavit. In Area II. sub verbis محمد رسول الله exstat ذو الرئاستين *possessor utriusque principatus* (i. e. du département civil et militaire). Cf. de significatione horum verborum *Stickel*, l. l. I. p. 28. s.

---

*) *Reiske:* بمدينة واسط.

Abû'l-Faḍl Ǵaʿfar Al-Mutawakkil ʿala-'llâh.

regn. ab a. Ḣ. 232 (846/7 Chr.) — 247 (861/2).

16.

Numus aureus.

Area I. لا اله الا || الله وحده || لا شريك له *Non est Deus nisi Allâh unicus, cui non est socius.*

Marg. محمد رسول الله ارسله بالهدى الخ *Muḥammad Apostolus Dei, quem misit directione* etc. (omissis verbis: ولو كره المشركون).

Area II. محمد رسول الله *Muḥammad Apostolus Dei.* Supra على, infra محمد exstat*).

Marg. بسم الله ضرب هذا الدينر سنة اربعين ومیتین *Nomine Dei! Cusus est hic dînâr anno ducentesimo quadragesimo* (240 = 854/5 Chr.). Nomen urbis, in qua cusus est, non exstat.

Abû Muḥammad ʿAlî ben Al-Muʿtaḍid Al-Muktafî billâh

regn. ab a. H. 289 (901/2 Chr.) — 295 (907/8).

17.

Numus arg. Area I. Med. *Symbolum sunniticum.*

Marg. interior. بسم الله ضرب هذا (الد) رهم بارمية سنة

---

*) *Reiskius* (in catal. manuscr.) haec vocabula sic explicat: „Potest vocabulum على non pro nomine proprio haberi, sed pro verbo عَلَى, *excelsus* vel *superior est* vel *sit*, ita ut sit sententia *extollatur Muhammed legatus Dei*, vincatque et superet religiones omnes religioni ab ipso institutae diversas. *Muhammed*, qui in fine inscriptionis nominatur, videtur Muhammed البرجمي, Wezirus al Motawackeli Chalifae, circa id temporis. Vid. *Elmacini* Hist. Saracen. p. 51."

ثلث وتسعين ومايتين *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in urbe Urmija anno ducentesimo nonagesimo tertio* (293 = 905/6 Chr.).

Marg. exterior. (لـ)ـله الامر من قـ(ـبل) ومن بعد ويو(مـ)ـئذ يفر (ح المؤمنون) *Dei fuit eritque imperium; atque illo die laetabuntur fideles* (sc. auxilio divino). Cf. Ḳur. Sûr. 30, 3.

Area II. لله ‖ محمد رسول ‖ الله ‖ المكتفى بالله *Deo! Muḥammad Apostolus Dei! Al-Muktafî billâh.*

Marg. محمد رسو (الله) ارسله (بالهـ)ـدى ودين الحـ(ـق) ليظـ(ـهره) على الدين كـ(ـله) ولو كره المـ(ـشركون) *Muḥammad Apostolus Dei, quem misit directione et vera religione instructum* etc.

Abû'l-Faḍl Ga'far ben Al-Muʿtaḍid Al-Muḳtadir billâh

regn. ab a. H. 295 (907/8 Chr.) — 320 (932).

18.

Dirhem pessime conservatus. Inscriptiones plane deletae sunt, ita ut nihil legi possit, nisi خمس عشرة وثلثماية (anno) *trecentesimo decimo quinto* (315 = 927/8 Chr.).

Abû Manṣûr Muḥammad ben Al-Muʿtaḍid Al-Ḳâhir billâh

regn. ab a. H. 320 (932 Chr.) — 322 (933/4).

19.

Dirhem vehementer attritus.

Area I. Satis obscura *Symboli sunnitici* vestigia exhibet.

Marg. inter. . . . . . . سنة . بتستر من الاهوا درهم . . i. e. *cusus* in urbe *Tustur min al-Ahvâz* anno . . . (?)*)

Inscriptio marginis exterioris paene tota deleta est.

Ârea II. Supra لله p. p. القاهر بالله i. e. nomen Chalîfae *Al-Kâhir billâh.*

Abû'l- Abbâs Ahmad ben Al-Muktadir Al-Râdî billâh.

regn. ab a. H. 322 (933/4 Chr.) — 329 (940/1).

20.

Numus arg.

Ar. I. لا اله الا=الله وحده. لا || شريك له || ابو العباس || بن امير المؤمنين *Non est Deus nisi Allâh unicus, cui nullus est socius. Abû'l-ʿabbâs ben Amîri-'l mu'minîn,* i. e. *Al-Râdî billâh.*

Marg. int. بسم الله ضرب هذا الدرهم بكنكوار سنة ثلث (وعشر يـ)ـن وثلثماية *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in urbe Kinkivâr anno trecentesimo* (vige)*simo tertio* (323 = 934/5 Chr.).

Marg. exter. inscriptio paene tota deleta est.

Ar. II. p. p. المقتدر بالله. Infra ∴

21.

Dirhem cusus بامد سنة ثلث وعشرين وثلثمايـــة *in urbe Amid anno trecentesimo vigesimo tertio* (323 = 934/5 Chr.).

Marg. exter. لله الامر من قبل ومن بعد الخ

Ar. II. الله (سـ)ـول محمد ر. Supra لله. Infra الراضي بالله

---

*) De loco vid. infra Class. V. N. 2.

22.

Dirhem pessime conservatus cusus بمد(ينة السلا)م سنة ثمان و ..... *in Mad*(înat al-salâ?)*m anno* (trecentesimo vigesimo?) octavo.

Ar. II. inscriptio eadem atque in proxime antecedenti.

Infra د, supra لله exstat.

23.

Dirhem vehementissime attritus.

Ar. I. لا اﻟ ... || الله و ..... || . ابو العـ ... *Non est Deus* (nisi) *Deus u*(nicus cui nullus est socius. A)*bû'l-ʿa*(bbâs ben Amîr-i-'l mu'minîn?).

Marginum, et interioris et exterioris, inscriptiones plane deletae sunt. Nihil distincte legi potest nisi (عشر يـ)ـن وثلثماية anno *trecentesimo* (vige)*simo* ....

Areae II. inscriptiones item deletae sunt. Nihil distincte legi potest nisi الراضى بالله in inscr. media, et .. ـهدى ودين in margine.

Abû Isḥâḳ Ibrâhîm ben Al-Muḳtadir
Al-Muttaḳî billâh
regn. ab a. H. 329 (940/1 Chr.) — 333 (944/5).

24.

Dirhem, vehementer attritus.

Ar. I. لا اله الا الله الخ *Non est Deus nisi Deus* etc. Infra ابو منصور بن || امير المؤمنين *Abû Manṣûr filius principis fidelium.* Infra لله ...... (?

Marg. inter. (ثلـ)ـثين وثلثماية cusus anno *trecentesimo (tri)gesimo* . . .

Marg. exterioris inscriptio deleta est.

Ar. II. Supra لله, quod quinque versus excipiunt, quorum litterae plane deletae sunt.

Numi cufici incerti temporis

25 — 30.

Sex numi aenei, quorum inscriptiones paene omnes deletae sunt. Fortasse attribuendi sunt Hârûno, quod, qui ante me hos numos perscrutati sunt, putaverunt.

31.

Numus aureus mutilatus, secundi post fugam saeculi.

Ar. I. لا اله الا الله الخ *Non est Deus nisi Deus.*

Margo. محمد رسول الله ارسله بالهدى الخ *Muḥammad Apostolus Dei, quem misit directione instructum* etc.

Ar. II. بسم الله ضرب هذا الدينر سنة خمس ... ومية *Nomine Dei! Cusus est hic dînâr anno centesimo . . . . . quinto.*

32.

Numulus aureus, dîn. dimidius.

Ar. I. لا اله الا الله الخ *Non est Deus nisi Deus* etc.

Supra لله (?). Infra sic fere ـس ـك.

Ar. II. Supra على. Infra litterarum vestigia, quae legere non possum, sic fere: . . . ىدر

33.

Numus aeneus vehementissime attritus.

Ar. I. *Symbolum sunniticum.*

Marg. ... ضرب هذا الفلس ...

Ar. II. Supra لله, quod solita illa || محمد || رسول الله excipiunt. Infra (?) ح .. || ك .... عبد.

CLASSIS TERTIA.

Numus Chalîfae Umajjadae Hispaniae incertus.

Urbes monetales.

اشبيلية (*Marsden* Num. or. p. 334 et 336 شبيليه), الاندلس, الزهراء.

Dirhem vehementissime attritus.

Ar. I.	لا اله الا	*Non est Deus nisi*
	الله وحده	*Allâh unicus,*
	لا شريك له	*cui nullus est socius.*

Marg. .... الدرهم بالاندلس سنة .... ين

(Nomine Dei cusus est hic) *dirhem in* urbe *Al-Andalus* (i. e. *Cordova*) *anno* (ducentesi)*mo* (?) . . .

Area II.	الله احد الله	*Allâh est unus, Allâh*
	الصمد لم يلد و	*aeternus, non genuit, neque*
	لم يولد و لم يكن	*genitus est; nec est*
	له كفوا احد	*ei aequalis ullus.*

Marginis inscriptio plane est deleta.

APPENDIX.

Numus in Hispania cusus,
quem certo ad ejus auctorem referre non licet.

Numus argenteus, vehementissime mutilatus et valde deminutus.

Ar. I. ... الله محمد || رسول الله

Ar. II. الا الله .. || غر ناط .

Quas inscriptiones hunc in modum ex numo a *Fraehnio* (Rec. p. 6*** N. 5.) laudato supplendas esse putavi:

Ar. I. لا اله الا الله محمد رسول الله *Non est Deus nisi Allâh, Muhammad est Apostolus Dei.*

Ar. II. ولا غالب الا الله ضرب في (?) غرناطة *Non est victor nisi Deus. Cusus est in* (?) urbe *Garnâta.*

Inscriptionum litterae recentioris sunt memoriae et admodum distinctae.

CLASSIS QUARTA.

Numi Amîrorum Sâmânidarum.

Urbes monetales.

آمُل, اندرابة, بخارا, بدخشان, بلخ, بنكت, البيار, پنچهير,
ترمذ, الختل, راشت, سمرقند, الشاش, فرابر, فرغانة (فرغان),
فرولر (= فرغانة? Cf. *Tornberg,* Numi cufici p. 165), المحمدية,
مرو, معدن (sc. معدن الشاش), معكر(?), نصرآباد, نيسابور, واسط.

Ismâʿîl I. ben Aḥmad
regn. ab a. H. 280 (893/4 Chr.) — 295 (907/8).*)

1.

Dirhem. Ar. I. لا اله الا الله الخ *Non est Deus nisi Allâh* etc.

Marg. inter. بسم الله ضرب هذا الدرهم بلشاش (sic) سنة ست وثمانين وميتين *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in urbe Al-Shâsh anno ducentesimo octogesimo sexto* (286 = 899/900 Chr.).

Marg. exter. لله الامر من قبل الخ *Dei fuit eritque imperium* etc.

Ar. II. محمد رسول الله *Muḥammad est Apostolus Dei.*

---

*) Cf., *Mirchond* Histoire des Samanides p. p. M. Defrémery p. 6.

Supra لله *Deo!* infra المعتضد بالله || اسمعيل بن احمد (Chalîfa) *Al-Mu'tadid billâh* [reg. 279 (892/3) — 289 a. H. (901/2)]. *Ismâ'îl ben Ahmad.*

2.

Dirhem, vehementer attritus, cusus .... س سنة احدى وثمانين ومايتين (?) (in urbe Al-Shâsh ?) *anno ducentesimo octogesimo primo* (?) (281 = 894/5). *Reiskius* (cf. *Eichhorn* Repertorium 17, p. 274), hunc numum anno 288 cusum esse statuens, num recte legerit, dubitaverim.

Ar. II. inscriptiones cum Ar. II. n. modo laudati plane congruunt.

3.

Dirhem cusus بالشاش سنة اربع وتسعين ومايتين *in urbe Al-Shâsh anno ducentesimo nonagesimo quarto* (294 = 906/7 Chr.).

Marginis exterioris inscriptio in Area I. mutilata est.

Ar. II. p. p. المكتفى بالله || اسمعيل بن احمد (Regnante Chalîfa) *Al-Muktafî billâh* (289 — 295 a. H. [907/8 Chr.]). *Ismâ'îl ben Ahmad.*

Supra لله exstat. Marginis inscriptio mutilata est.

Ahmad ben Ismâ'îl

regn. ab a. H. 295 (907/8 Chr.) — 301 (913)*)

4.

Dirhem, vehementer attritus, cusus بسمرقند سنة خمس وتسعين ومايتين *in urbe Samarkand anno ducentesimo nonagesimo quinto* (295 = 907/8).

*) *Ahmad ben Ismâ'îl,* teste *Mirchondo* (cf. l. l. p. 18), 23. mens. Gumâda II. a. 301 interfectus est. Cf. *Abû'l-fidâ* Annal. Mosl. II, 324.

Inscriptio marginis exterioris paene tota vel attrita vel mutilata est.

Inscriptio Areae II. inscriptioni numi modo laudati simillima; sed post solitum illud محمد رسول الله et nomen Chalifae *Al-Muktafî billâh* hic nomen Amîri احمد بن اسمعيل *Aḥmad ben Ismâ'îl* exstat.

5.

Dirhem, cusus (sic) بسمرقند سنة تسع وتسعين ومايين *in urbe Samarkand anno ducentesimo nonagesimo nono* (299 = 911/2 Chr.).

Marg. exter. ut solet لله الامر من قبل الخ.

In Ar. II. post محمد رسول الله hic (المقتـ)ـدر (بالـ)ـله et infra احمد بن (اسـ)ـمـ(ـعيل) i. e. nomen Chalifae *Al-Muḳtadir billâh* (regn. 295 — 320 = 932 Chr.) et Amîri *Aḥmad ben* (Is)-*m*(â'îl), supra لله exstat.

6.

Dirhem cusus (?) بالشاش سنة ثلثماية *in urbe Al-Shâsh anno trecentesimo* (300 = 912/3 Chr.). Quod ad annum adtinet, nescio, utrum recte legerim nec ne; litterae vehementer attritae sunt. Areae II. inscriptio plane est eadem atque in proxime antecedente.

7.

Dirhem cusus بسمرقند سنة ثلثـــماية *in urbe Samarkand anno trecentesimo* (300 = 912/3 Chr.). Ar. II. ut in modo antecedentibus.

8.

Dirhem cusus بالشاش سنة . . . حدى (?) وثلثماية *in urbe Al-Shâsh anno trecentesimo primo* (301 = 913/4). Litterae in-

scriptionis vehementissime sunt attritae; sed non puto, دى .. illud falsum esse, etiamsi, qui ante me hos numos perscrutaverunt, 302 legendum esse censuerint. ي in fine hic ن cufico simillimum est; د distincte cernitur. Inscriptio marginis exterioris, ut solet, لله الامر الخ exhibet.

Ar. II. ut in modo antecedentibus. Marginis inscriptio vehementer est attrita.

Naṣr ben Aḥmad
regn. ab a. H. 301 (913/4 Chr.) — 331 (942/3)*)

9.

Dirhem cusus بسمرقند سنة اثنتين وثلثماية *in urbe Samarkand anno trecentesimo secundo* (302 = 914/5).

Area I., *Symbolum sunniticum.* Supra ∵ exstat.

Area II. Supra لله, p. p. المقتدر بالله i. e. nomen Chalifae *Al-Muktadir billâh* et Amîri نصر بن احمد *Naṣr ben Aḥmad.*

10.

Dirhem cusus بالشاش سنة اربع وثلثمية *in urbe Al-Shâsh anno trecentesimo quarto* (304 = 916/7 Chr.).

Super inscr. med. ٧, circulo supra et infra ornatum, cernitur. Marginum interioris et exterioris inscriptiones cum inscriptionibus numorum in urbe Samarkand cusorum plane congruunt.

Ar. II. ut in antecedenti. Infra ~, supra لله (sic) cernitur.

11.

Dirhem cusus بالشاش *in urbe Al-Shâsh.* Anni nota sculptoris incuriâ omissa est, ejusque loco ساس cernitur, quod quid

*) Cf. *Mirchond* l. l. p. 27.

significet equidem nescio; fortasse nihil est nisi repetitum illud urbis nomen. — Varii sane sunt sculptorum errores in numis hujus dynastiae, inprimis quod annorum notam attinet. Cf. *Frähnii* Recensionem p. 45, 46 etc. *Tornberg,* Numi cufici p. 190. ss. Ar. II. p. p. نصر بن احمد. Supra لله.

12.

Dirhem tam vehementer attritus, ut nec quo anno nec quo loco cusus sit, certo cognosci possit. Urbis nomen سمرقند esse puto. Eidem, cui modo laudati numi, dynastae attribuendum esse, Areae II. inscriptio محمد || رسول الله || المقتدر بالله || نصر (sic) بن مد docet. Supra لله exstat.

13.

Dirhem cusus بسمرقند سنة تسع وثلثماية *in urbe Samarkand anno trecentesimo nono* (309 = 921/2 Chr.). Inscriptio media 2. marginum inscriptionibus, ut solet, cincta est.

Ar. II. ut in modo antecedentibus.

14.

Dirhem attritus, cusus بالشاش سنة اثنا عشر وثلثـــماية *in urbe Al-Shâsh anno trecentesimo duodecimo* (312 = 924/5 Chr.).

Ar. II. ut in modo antecedenti.

15.

Dirhem cusus بمعـ(د)ن سنة احدى وعشرين وثلثماية *in urbe Ma'din* (?) *anno trecentesimo vigesimo primo* (321 = 933 Chr.) Urbis nomen vehementer attritum est.

In Ar. I. supra ط cernitur.

Ar. II. لله *Deo!*

محمد *Muhammad*

رسول الله *Apostolus Dei*
(القاهر) . بالله (Al-ḳâhir bi)*llâh*
(نصر بن) احمد (Naṣr ben) *Aḥmad.*

16.

Dirhem cusus بنيسابور سنة اربع وعشرين وثلثماية *in urbe Nîsâbûr anno trecentesimo vigesimo quarto* (324 = 935/6 Chr.).

In Ar. I. supra لله cernitur.

Ar. II. p. p. الراضى بالله || نصر بن احمد *Al-Râḍî billâh. Naṣr ben Aḥmad.* Supra لله exstat.

17.

Dirhem cusus *eodem loco* et *anno*, iisdemque instructus titulis.

18.

Dirhem, vehementer attritus, cusus بسمرقند سنة ست (وعشرين وثلثماية) *in* urbe *Samarḳand* anno (trecentesimo vigesimo?) *sexto* (326 = 937/8 Chr.). In Ar. I. infra س exstat.

Ar. II. p. p. الراضى بالله || نصر بن احمد nomen Chalîfae *Al-Râḍî billâh* [regn. inde ab a. H. 322 (933) — 329 (940/1 Chr.)] et nomen Amîri *Naṣr ben Aḥmad* exhibet. Supra لله exstat.

19.

Dirhem tam vehementer temporis injuriam passus, ut neque anni notatio, neque urbis nomen distincte legi possit.

Ar. II. p. p. الراضى بالله || نصر بن احمد. Supra لله. *Al-Râḍî billâh. Naṣr ben Aḥmad.*

20.

Dirhem, vehementer attritus, cusus بالشاش (?) ..ع.... وثلثماية *in urbe Al-Shâsh* (?) anno *trecentesimo* (vigesimo vel *quarto*, vel

septimo, vel *nono*?) In Ar. I. supra س cernitur. Nomen urbis non distincte exaratum est.

Ar. II. p. p. نصر بن احمد || الراضى بالله.

21.

Dirhem fractus, cusus بسمرقند سنة تسع وعشرين وثلثماية *in urbe Samarkand anno trecentesimo vigesimo nono* (329 = 940/1 Chr.). In Ar. I. sub inscriptione med. infra بخ ٢ بخ, supra ٦ cernitur.

Ar. II. p. p. نصر بن احمد || المتقى بالله *Al-Muttaki billâh* (hic τῷ لله simillimum) et *Naṣr ben Aḥmad.* Supra لله.

Nûḥ ben Naṣr
regn. ab a. H. 331 (943 Chr.) — 343 (954/5).

22.

Dirhem cusus بالشاش سنة ثلث وثلثين وثلثماية *in urbe Al-Shâsh anno trecentesimo tricesimo tertio* (333 = 944/5 Chr.).

Marg. exter. لله الامر الخ *Dei fuit eritque imperium* etc.

In Ar. I. med. supra ∴ cernitur.

Ar. II. p. p. نوح بن نصر || المتقى لله *Al-Muttaki billâh* et *Nûḥ ben Naṣr.* Supra لله exstat.

23.

Dirhem cusus ببخارا سنة ثمان وثلثين وثلثماية *in urbe Buchârâ anno trecentesimo tricesimo octavo* (338 = 949/50 Chr.).

Inscriptiones marginum, et exterioris et interioris, perdistincte sunt exaratae.

Marg. ext., ut solet, لله الامر الخ *Dei fuit eritque imperium* etc.

Ar. II. p. p. نوح بن نصر || المستكفى بالله *Al-Mustakfi billâh.* (بالله hic τῷ لله simillimum) *Nûḥ ben Naṣr.* Supra لله, infra vestigium sigli attriti exstat.

24.

Dirhem deminutus, cusus *eod. loco* et *anno.*

Ar. II. p. p. نوح بن نصر || المستكفى بالله. Supra لله.

25.

Dirhem, vehementer attritus, cusus ببخارا سنة اربع واربعين وثلثماية *in urbe Buchârâ anno trecentesimo quadragesimo quarto* (344 = 955/6 Chr.).

Ar. I. لا اله الا الله الخ *Non est Deus nisi Deus* etc. Infra الملك المويّد *Rex* (a Deo) *corroboratus.*

In marginis exter. inscriptione verba sic se habent: لله الامر من من (sic) قبل ومن بعد الخ.

Ar. II. p. p. ut in antecedentibus نوح بن نصر || المستكفى بالله.

26.

Dirhem tam vehementer attritus, ut neque *anni* neque *loci* notatio legi possit.

Ar. II. ut solet supra لله, p. p. نوح بن نصر || المستكفى بالله exhibet.

'Abd-al-Malik ben Nûḥ

regn. ab a. H. 343 (954/5 Chr.) — 350 (961/2).

27.

Dirhem, vehementer attritus et deminutus, cusus . . . . . بسمر ثمان و . . . . ين وثلثماية *in urbe Samar*(kand anno) *trecentesimo* (quadragesimo?) *octavo* (348 = 959/60 Chr.).

Ar. I. ut in antecedentibus لا اله الا الله الخ *Non est Deus nisi Deus* etc. Supra ب cernitur.

In Ar. II., supra لله, p. p. nomen Chalîfae المستكفي بالله jam a. 334 (946) destituti et a. 338 (949/50 Chr. cf. *Abû'l-fidâ* Annal. Muslim. II, 454.) mortui, et عبد الملك بن نوح exstat. Ejusdem erroris exempla vid. apud *Tornberg,* Num. Cuf. p. 236. s. *Frähn* Rec. p. 96. ss.

Nûh II. ben Manṣûr
regnavit ab a. H. 365 (976 Chr.) — 387 (997)*)

28.

Numus aeneus vehementissime temporis injuriam passus, ita ut neque *anni* neque *loci,* quo cusus est, notatio legi possit.

Ar. I. *Symbolum sunnîticum* exhibet. Supra ه, infra ~ exstat.

Ar. II. لله || محمد || رسول || الله || نوح

---

*) Cf. *Mirchond* Histoire des Sâmânides éd. Defrémery p. 44 — 78.

CLASSIS QUINTA.

Numi Amîrorum Bûjidarum.

Urbes monetales.

آمُل, أرّجان, اصفهان, انبر, الاهواز (?), ايدج, برقعيد, البصرة, بغداد, بَمّ (cf. *Fraehnii* Opp. posthuma ed. *Dorn* I, 256), تُسْتُر من الاهواز, سمرقند, سِمْنان, سوق (?) الاهواز, سيراف, شيراز, ماه الكوفة, المحمدية, مدينة السلام, الموصل, واسط.

Mu izz al-daula Abû'l-Ḥusain Aḥmad

Amîr al-umarâ inde ab a. H. 334 (945/6 Chr.) — 356 (966/7).

1.

Dirhem. Ar. I. لا اله الا الله *Non est Deus nisi Allâh*

وحده لا شريك له *unicus, cui non est socius.*

معزّ الدولة *Muʿizz al-daula*

ابو الحسين *Abû'l-ḥusain*

بويه *Bûja*

Marg. inter. بسم الله ضرب هذا الدرهم ببغدا . (?) سنة ست وثلثين وثلثماية *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in urbe*

Bağdâ(d?) *anno trecentesimo tricesimo sexto* (336 = 947/8 Chr.). Urbis nomen vehementissime est attritum.

Marg. inter. لله الامر من قبل الخ *Dei fuit eritque imperium* etc.

Ar. II. لله *Deo!*

محمد رسول الله *Muḥammad Apostolus Dei.*

صلى الله عليه وس . . *Deus ei benedicat et s*(alutem praestet)

المطيع لله *Al-Muṭî' lillâh*

. . عماد الدولة *'Imâd-al-daula*

ابو الحسين *Abû'l-Ḥusain*

بويه *Bûja*

Marg. . . . ن الحق ليظهره على الدين كله . . . (Muḥammad est Apostolus Dei, qui eum misit directione et reli)*gione vera instructum ut eam omnibus religionibus superiorem redderet* (vel invitis plurium deorum cultoribus).

2.

Dirhem, in duas partes fractus et deminutus, cusus: بتستر من الاهواز سنة . . . ع(?) وثلثين وثلثماية in *Tustur min al-ahvâz anno trecentesimo tricesimo* (quarto vel septimo vel no)*no* (334 = 945/6. 337 = 948/9. 339 = 950/1 Chr.).

Areae I. inscriptiones vehementissime sunt attritae. Ecce quae restant: || لا اله الا الله || وحده . . . . . . له || مـ . . الدولة || ابو الحسين || بو . . *Non est Deus nisi Deus unicus cui* (non est socius). *M*(u'izz) *al-daula, Abû'l-Ḥusain, Bû*(ja). — Infra بخ (?) cernitur, cujus a sinistrâ litterarum duarum (?) vestigia supersunt.

Marg. exter. لله الامر الخ.

Ar. II. inscriptiones item vehementissime sunt attritae; nihil restat nisi: محمد رسول الله . || صلـ . .

Quae de nomine urbis monetalis mihi dicenda esse videntur, haec sunt. Dubia illa سستر من الاهواز distinctissime sunt exarata.

Inter omnes territorii, الاهواز dicti, (de quo vid. *Edrîsî* p. *Jaubert* I, 379) urbes, hujus تستر solum nomen litteris in numo nostro exstantibus quadrat. Hanc urbem, quam *Al-Kazvînî (Âtâr al-bilâd* ed. *Wüstenfeld* p. ١١٤) قصبة الاهواز nominat, et quam *Abû'l-farağ* (Histor. Dyn. ed. *Pocockii* p. 179) jam ʿ*Omari* temporibus ita munitam fuisse refert, ut sola inter reliquas illarum regionum urbes Moslimorum exercitibus resistere posset, et incolarum industriâ et soli fertilitate floruisse ipse *Al-Kazvînî* (l. l.) et *Edrîsî* (l. l. p. 382) testes sunt. Quid quod *Jâkût* (in libro *Al-Mushtarik* ed. *Wüstenfeld p.* ٨١) de urbibus ejusdem atque nostra nominis disserens *Tustur* بلدة كبيرة مشهورة اجلّ مدينة بخوزستان fuisse refert, qua in laude et *Ibn Baṭûṭâ* (p. p. *Defrémery* et *Sanguinetti* II, 23. s.) et autor libri *Marâṣid al-iṭṭilâ'* (ed. *Juynboll* I, p. ٢٤) cum eo consentiunt. Cf. et *de Sacyi* Chrestom. Arabe I, 244. de persica hujus nominis origine.

Quid numi nostri sculptorem moverit, ut pernoto illi urbis nomini, ad situm ejus melius definiendum, من الاهواز adderet, facillime intelliges, si memineris, duas fuisse ejusdem nominis urbes, quarum una in territorio *Al-Ahvâz*, altera in territorio *Bağdâd* sita erat. Cf. *Jakût* l. l.

Idem urbis monetalis nomen obvenit in numo ʿAbbâsidico a *Fraehnio* (Rec. p. 22** Nr.* 327) laudato, et fortasse etiam in numo Amîri Bûjidae a. 343. cuso. Cf. *Fraehn* l. l. p. 597* d, 1. Cf. supra p. 11. Nr. 19.

Rukn al-daula Abû Alî Ḥasan

Amîr al-umarâ inde ab a. H. 338 (949/50 Chr.)*) — 366 (976/7)**).

3.

Dirhem cusus بارجان سنة اربع واربعين وثلثماية *in urbe Arraǵân anno trecentesimo quadragesimo quarto* (344 = 955/6 Chr.).

Ar. I. p. p. ركن الدولة ابو على بويه *Rukn al-daula Abû Alî* (filius τοῦ) *Bûja.*

Marg. exter. لله الامر الخ.

Ar. II. p. p. عضد الدولة || ابو شجاع *ʿAḍud-al-daula. Abû Shuǵâʾ.* Supra لله.

Numus temporis incerti.

4.

Dirhem, vehementissime temporis injuriam passus, cujus in A. I. quatuor linearum inscriptio exstitit, cujus vestigia exceptis his: لا اله الا الله || .. امر للمعى الدولة || . بو الحسين plane evanuerunt. I. e. *Non est Deus nisi Deus.* Quae in litterarum illarum vestigiis lateant, equidem nescio quomodo cognoscam. Infra ح, supra figura triangulo simillima cernitur.

Marginis inscriptio plane est deleta.

Ar. II. Supra لله, quod haecce excipiunt: || محمد رسول الله ـاه امىد بالله || . . . دولة || ابو حسيد . . Num in his المقتدر بالله latet?

*) Cf. *Abû'l-fidâ* Annal. II, 454.

**) Cf. *Abû'l-fidâ* Annal. II, 526.

Infra ح exstat.

Reiskius in catal. manuscr. (in numophylacio nostro asservato) de numo nostro haec habet: „In Area (I.) videor mihi obscura vestigia nominis صمصام الدولة *Samsam oddaulae* deprehendere, qui princeps Bujida ab a. 379 ad a. 388 (Chr. 989 ad 998) regnavit. Apparent adhuc aliorum principum Bujidarum nomina, sed obscura ut recte agnosci nequeant.

In postica nomen Chalifae al Caderi billahi satis clare legi potest, sed nomen principis Bujidae deletum est.“

CLASSIS SEXTA.

Numus Amîri Ḥamdânidae.

Urbes monetales.

البصرة, بغداد (et مدينة السلام), الرافقة, الرحبة, المصيصة (cf. *Fraehnii* Opp. posth. ed. *Dorn* I, p. 259) الموصل, ميفرقين (i. e. ميافارقين), نصيبين, واسط.

Nâṣir al-daula Abû Muḥammad Al-Ḥusain ben ʿAbd-allâh

regn. Mauṣili ab a. H. 317 (929/30 Chr.) — 358 (968/9).

Num. argenteus.

Ar. I. لا اله الا || الله وحده || لا شريك له || ناصر الدولة || الحسن بن عبد الله *Non est Deus nisi Deus unicus, cui nullus est socius. Nâṣir al-daula Al-Ḥusain* (leg. الحسين) *ben ʿAbd-allâh.*

Marg. ضرب هذا الدرهم بالموصل سنة ثلثين وثل . . . ية

Cusus est hic dirhem in urbe Al-Mauṣil anno trecentesimo tricesimo (330 = 941/2 Chr.).

Ar. II. لله || محمد رسول الله || المتقى لله || . بو منصور . . . || امير المومـ . . . *Deo! Muhammad Apostolus Dei. Al-Muttaḳî lillâh* (leg. billâh) (A)*bû Manṣûr* (ben A)*mîr al-mu'*-(minîn).

CLASSIS SEPTIMA.

Numi Principum Ortoḳidarum.

Urbes monetales.*)

ميافارقين, ماردين, دُنَيْسر, حصن, امد.

Numus regis Mâridîn (s. Dijâr Bakr.)
Ḥusâm al-dîn Jûluḳ Arslân ben Ḳuṭb al-dîn
regn. inde ab a. H. 580 (1184 Chr.) — 597 (? 1200/1).

1.

Num. aen.

Ar. I. الامام النا *Al-imâm alnâ,,*
صر للدين *ṣir lil-dîn*
امير المومنين *Amîr Al-Mu'minîn.*

Marg. . . . . ارسلا . . . حسام الدين . ملك ديار بكر يولق

---

*) Non habeo quas addam hisce jam a *Moellero* (in libro de numis orientalibus in Numophyl. Gothano asservatis etc. p. 152.) laudatis, urbes monetales Ortoḳidarum.

Husâm-al-dîn (ma)*lik dijâr bakr Jûluk arslâ*(n); reliqua inscriptionis marginalis vestigia tam vehementer sunt attrita, ut certo cognosci nequeant. Sed non errasse mihi videor, statuens hunc numum anno *quingentesimo octogesimo nono* (589 = 1193 Chr.) esse cusum. Cujus rei inter primos testes mihi summa *Fraehnii* auctoritas esse videtur, ejusdem numi in Academiae Petropolitano conservati exemplar (*Recensio* pp. p. 161 s.) explicantis.

In sculptura illa, quae in Ar. II. cernitur, describenda, ipsis *Fraehnii* uti mihi liceat verbis: „Quatuor figurae hominum: media sedet, demisso capite, quasi lugens; secunda a latere ejus stat manum elatam ad nescio quid intendens; tertia ante sedentem passis et sublatis manibus capiteque sinistrorsum inclinato luctum prae se fert; sedenti a tergo quarta adstat demissam manum tendens. (Non dubito, quin hic scena lugubris repraesentetur. Atque sane dicto anno 589 Saladinus e vita discesserat).“

Numi nostri effigiem et descriptionem vid. in *Grote* Blätter für Münzkunde Tab. 22. Nr. 276. Ejusdem numi descriptionem, adjecta ejus effigie, dederunt: *Marsden,* Numismata orientalia illustrata (Lond. 1823) p. 123 (cf. tab. VIII. Nr. CXV) et *Barthélemy* in Mémoires de littérature etc. de l'Académie Royale des inscr. et belles lettres (1759) T. 26, p. 567 (cf. Tab. II. Nr. 14). Sed inter omnes primus conferatur *Fraehn* de eo disserens in libro: *Sammlung* kleiner Abhandlungen etc. p. 113 ss. Cfr. *Stickel* in „Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft“ Vol. X, p. 300. Nr. 26.

Numus regis Ḥiṣn Kaifâ
Nûr al-dîn Muḥammad ben Ḳarâ Arslân
regn. inde ab a. H. 562 (1166 Chr.) — 581 (1185/6).

2.

Numus aeneus, vehementissime temporis injuriam passus, ita ut nihil certo cognosci possit, nisi haec in Ar. I. inscriptionis vestigia:

..ـك الامرا محمد

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

